

nam in foro externo ex speciali jure obtentam, merito plebanus ille inter praelatos connumeratur. Alioquin autem parochus, seu simplex curatus, non nisi large loquendo potest dici *Praelatus*, quatenus praest parochianis in foro animæ, et sic eisdem quasi est « praelatus, seu ante latus: » sed strictè illi soli dicuntur praelati, qui habent jurisdictionem quamdam fori contentiosi. Abbas d. n. 1. (ADNOTATIO II.)

## § II.

## DE JURISDICTIONE ARCHIEPISCOPI IN SUFFRAGANEOS, HORUMQUE SUBDITOS.

32. *Archiepiscopus, unde sic dicatur? Appellatur alio nomine metropolitanus; et cur?* — Queritur I. An, et qualem jurisdictionem archiepiscopus habeat in suffraganeos episcopos? Ubi prænотandum, quod *Archiepiscopus* sic dicitur a græco verbo ἄρχων, quod latine significat *Princeps*, quasi ipse sit princeps episcoporum, suæ videlicet provinciæ, can. *Cleros*, dist. 21 et hic alio nomine appellatur *Metropolitanus*, vel a mensura civitatum; quia quælibet provincia, cui praest metropolitanus, decem, aut undecim civitates, et totidem suffraganeos episcopos, olim sub se continere solebat, can. *Scitote*, 6. q. 3; vel dicitur *Metropolitanus* a *Μετροπ*, quod est *Mater*, et *Πολις*, quod est *civitas*; quia nimirum archiepiscopalis Ecclesia est sita in metropoli caeterarum civitatum, atque ipsa existit quasi Mater aliarum Ecclesiarum totius provinciæ, can. *De iis*, dist. 12 et notat Glossa in cit. can. *Cleros* 7. A mensura, et Abbas in c. *Suffraganeis* n. 1 de *Election*.

33. *Potest dari archiepiscopus, qui non sit proprie metropolitanus.* — Æque hæc procedunt ordinariè loquendo. Contingit enim aliquando, ut quis sit archiepiscopus, et tamen non metropolitanus proprie, ac in præfato sensu; eo quod nullum sub se habeat episcopum suffraganeum. Prout non habere Rosanensem, et Lancianensem archiepiscopos refert Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. VII num. 7; Concordat Azorius, part. II lib. III. cap. XXXIII q. 1. et Pirhing h. t. numero 13.

34. *Episcopi metropolitano subjecti, dicuntur suffraganei ipsius; et cur?* — Perro episcopi metropolitano subjecti, in jure appellantur *Suffraganei ipsius*; ut de can. *Scitote*, 6. q. 3. et c. *Suffraganeis* 11 de *Elect.* et cap. I.

*de Foro compet.* in 6. Idque dicitur a *suffragando*; quia videlicet caeteri provinciæ episcopi suffragantur archiepiscopo in officio episcopali; puta in consecrando alios episcopos. celebrando concilia, et hujusmodi. Abbas cit. n. 1. et alii. His prænотatis,

35. *Archiepiscopus habet jurisdictionem in suffraganeos suos. potestque ipsis præcipere, etc.* — Resp. I. Archiepiscopus habet jurisdictionem ordinariam in omnes suffraganeos non exemptos suæ provinciæ: unde tanquam ordinarius, atque immediatus eorum superior, potest iisdem præcipere quæ ad ipsorum spectant officium, atque etiam compellere negligentes per censuras ecclesiasticas ad præstandum officium suum; ut puta, quod in Ecclesiis suis resideant, justitiam subditis administrent, synodos debitis temporibus celebrent, ac alia hujusmodi faciant, quæ debent. Ita Barbosa, cit. lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. VII n. 18 et seqq. singula amplius deducens. Idipsum desumitur ex can. 1. et seqq. 9. quæst. 3. et cap. *Pastoralis*, 11 § 1. h. t. ibi: « Licet episcopus suus eidem (archiepiscopo) sit metropolitana lege subjectus. » Ubi Abbas n. 2, inde concludit, quod archiepiscopus sit *judex ordinariè omnium episcoporum suæ provinciæ*, ac æ horum excessibus parvis possit cognoscere, ipsosque suffraganeos episcopos punire, can. *Quia cognovimus*, 10 q. 3.

36. *Ac in eosdem proferre censuras, spectato jure antiquo.* — Concordat c. *Romana* § fin. h. t. ubi archiepiscopus justa de causa potest interdicti, suspensionis, vel excommunicationis sententiam in suffraganeos suos proferre, dummodo hoc præstet per se, et non per vicarium generalem, utpote cui ob reverentiam pontificalis officii istud ibidem prohibetur, simulque non statim ad excommunicationem deveniat. sed incipiendo a leviori censura prius ingressum Ecclesiæ interdicat. Engel, tit. *de Majorit. et obed.* § 4. n. 29; Sannig. h. t. cap. v. n. 10, et alii. Atque hæc procedunt spectato jure antiquo.

37. *De facto quoad causas criminales episcoporum observanda est decretum concilii Tridentini.* — Verumtamen de facto observandum est decretum concilii Tridentini, sess. 24, cap. v. de *Reform.*, ubi mature statutum fuit, quod minores criminales causæ episcoporum in concilio tantum provinciali cognoscantur, et determinantur, vel a deputatis per concilium provinciale, causæ vero criminales graviores contra episcopos, quæ depositione

aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Pontifice cognoscantur, et terminentur. Unde liquet, quod jure novo non parum restricta fuerit dicta potestas archiepiscoporum procedendi contra episcopos suffraganeos, circa causas horum criminales. (ADNOTATIO III.)

38. *An archiepiscopus de facto cognoscat de causis civilibus suffraganei, per proprium subditum coram eo conventi?* — Dicitur notanter, « circa causas horum criminales. » Nam loquendo de causis civilibus, adhuc de facto metropolitanus cognoscit de ipsis, quando subditus suffraganei coram ipso convenit proprium episcopum in causa aliqua mere civili. Ratio est, quia circa causas civiles nihil reperitur immutatum in concilio Tridentino, sicque remanet jus antiquum in suo vigore, L. *Præcipimus* c. de *Appellat.* Atqui de jure antiquo generale est, quod actor debeat sequi forum rei, et hunc convenire coram iudice suo ordinario; qualis respectu episcopi est archiepiscopus. Abbas in cit. c. *Pastoralis*, n. 2. h. t.; Engel, loc. cit. n. 28. Quamvis Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. VII. n. 46. alleget quamdam declarationem sac. Congregationis cardinalium, negotiis episcoporum et regularium præpositorum, de anno 1588 die 31 maii, ubi censuit archiepiscopum non posse esse iudicem in causis civilibus, quæ agitantur contra episcopos suffraganeos. Verum, donec dicta declaratio in forma authentica exhibeatur, haud immerito de ipsa dubitari potest, ob rationem jam dictam, et amplius ostendit Engel, loc. cit., aut forsitan ipsa loquitur de causis civilibus in aliquo delicto episcopi fundatis.

39. *Et quid, si suffraganeus proprium subditum convenire velit?* — Quod si autem episcopus, qui in propria causa iudex esse non potest, subditum suum convenire velit, id non coram archiepiscopo fieri poterit. Archiepiscopus quippe non habet jurisdictionem in subditos sui suffraganei, præter casus in jure expressos, prout proxime amplius dicetur. Igilur in tali casu vel ad summum Pontificem, aut ejus legatum erit recurrendum; vel communi consensu, ac juris necessitate, debent eligi arbitri, qui causam illam audiant, atque terminent, can. *Si Clericus* 11. q. 1. Abbas cit. n. 2. Engel, ubi supra, n. 30.

40. *Archiepiscopus non habet jurisdictionem in subditos sui suffraganei, præter casus in jure expressos.* — Queritur II. An, et in quibus casibus habeat archiepiscopus jurisdictionem

in subditos sui suffraganei? Resp. I. Licet archiepiscopus habeat jurisdictionem ordinariam in episcopos suffraganeos, ut dictum; tamen in subditos eorum jurisdictionem non habet, nisi in casibus a jure expressis. Ita communis, et habetur in can. *Nullus, et can. Conquestus*, 9, quæst. 3, addita illa ratione: « Quia nec antiquitas hoc habet, et auctoritas sacrorum canonum penitus interdicet. » Primate enim, et patriarchæ (ac multo magis archiepiscopi) nihil privilegii habent præ caeteris episcopis, nisi quatenus sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contuit. Idem in c. *Pastoralis* 11. h. t. expressius habetur, dum ibi dicitur de archiepiscopo, « quod in subditum suffraganei, exceptis quibusdam articulis, nullam habeat potestatem. » Concordat c. *Duo simul*, 9. h. t. et c. *Venerabilibus*, 7, § I. de *Sent. excomm.* in 6 cum similibus. Idque merito statutum fuit, si sua unicuique episcopo jurisdictio non servatur, ecclesiasticus ordo confundatur, can. *Pervenit ad nos*, 11 q. 1.

41. *Nec obstat regula: Si vinco vincentem te, multo magis vinco te: Cur?* — Unde in præsentiarum locum non habet vulgata illa regula: « Si vinco vincentem te, multo magis vinco te, » ac desumitur ex l. *de Accessionibus*, ff. de *Divers. et temporal. præscript.* et can. *Rogamus*, 24, q. 1 et c. *Auctoritate* 7 de *Concess. præbend.* in 6. Nam regula illi non procedit, quando eadem vis seu causa, quæ est in vincente te (puta, in episcopo proprium subditum vincente) non concurrat in eo, qui vincit vincentem te, puta in archiepiscopo; quia episcopus habet jurisdictionem respectu proprii subditi; archiepiscopus vero, licet habeat jurisdictionem in suffraganeum, non tamen habet jurisdictionem in ejus subditum, præter casus in jure expressos.

42. *Archiepiscopus est iudex ordinarius totius provinciæ; et quomodo.* — Nec obstat, quod archiepiscopus sit iudex ordinarius totius provinciæ, ac ejus gerat sollicitudinem, et can. *Per singulas*, 9 q. 3. Resp. enim cum Glossa in c. *Pastoralis*, 7. *Exceptis quibusdam articulis*, h. t. inde non sequi, quod etiam cujuslibet de provincia sit iudex ordinarius, nisi in casibus specialiter exceptis: nam jurisdictio archiepiscopi quam habet super totam provinciam, est impedita et ligata respectu singulorum, donec occurrat casus specialiter exceptus. Vel brevius dic cum Innocentio, quem citat et sequitur Abbas in cit. c. *Pastoralis*, n. 8. quod archiepiscopus ha-

beat quidem jurisdictionem archiepiscopalem in totam provinciam, ita ut totam possit visitare, cap. i. *de Censib.* in 6 cum similibus, non vero jurisdictionem episcopalem: hanc enim solummodo habet respectu suæ propriæ diocesis.

43. *Enumerantur octodecim casus, in quibus archiepiscopus habet exercitium jurisdictionis in subditos suffraganei sui.* — Resp. II. Casus illi, seu articuli jure expressi, in quibus archiepiscopus habet exercitium jurisdictionis in subditos suffraganei sui, breviter referuntur a Glossa in d. c. *Pastoralis*. §. *Exceptis*, h. t. et alia Glossa in cap. i. *de Supplend. neglig. prælat.* in 6. ubi octodecim hujusmodi casus enumerat, eosque complectitur sequentibus versiculis, quos explicat Hostiensis in *Summa*. h. t., et sic sonant:

• Officium varium, forus, appellatio, crimen.  
Peccans; non parens, res, consultatio, deses  
Præsul, canonici tumidi, sententia nequam.  
Visitat, indulget, custos, quia Papa dat, usus.  
Permutat sociis, suspectus cumque remittit.  
Casibus his primas subjectos præsulis arcet. »

44. I. *Quando causa ad eum per appellationem defertur.* — Præcipuus horum, atque per ly *Appellatio* importatus, casus est quando causa per appellationem ad archiepiscopum defertur; hoc est, quando a sententia, vel gravamine episcopi, legitime appellatur ad archiepiscopum: ut cap. i. *De offic. legat.* et c. *Duo simul*. 9, h. t. cum similibus.

45. II. *Quando visitat provinciam.* — Secundus, ac cæteris notabilior, et per ly *Visitat* denotatus, casus est quando archiepiscopus visitat provinciam: tunc enim habet exercitium jurisdictionis in subditos suffraganei, potestque non solum procurationis ratione visitationis debitas ab ipsis exigere, c. *Cum ex officii*. 17. *de Præscript. et Sopita*. 14 *de Censib.* et c. *Romana*, eod. in 6; sed etiam eorum omnium confessiones audire, ipsos absolvere, atque pœnitentias injungere salutares, cap. ult. *de Censib.* in 6. Idque tam per se, quam per alios, etiam absolvendo a casibus episcopo illi suffraganeo reservatis; quia eo tempore, quo archiepiscopus diocesim visitat, censetur diocesis illa tanquam sua, et ipse habere in ea jurisdictionem quasi episcopalem episcopo superiorem. Barbosa lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. VII. num. 89 et alii.

46. *Et si tunc in eos nequeat exercere jurisdictionem fori contentiosi, nisi in duobus casibus; et quibus?* — Non tamen potest archie-

piscopus visitans jurisdictionem fori contentiosi exercere in subditos episcopisuffraganei. Quaranta in *Summa Bullar.* v. *Archiepiscop. auctoritas*, vers. 33; Barbosa, loc. cit. n. 92, nisi in duobus casibus: videlicet in criminibus notoriis puniendis; ut d. c. *Romana*, §. *Sane de Censib.* in 6, et quando subditi suffraganeorum vel ipsi archiepiscopo jurisdictionem in provincia sua exsequenti, vel ejus nuntiis, aut familiæ injuriam, seu manifestam offensam inferre præsumunt, etiamsi ejus jurisdictionem inde impediri non contingat, cap. i. *de Pœnis*, in 6. Quod extenditur etiam ad illos, qui archiepiscopo visitanti denegant debitam procurationem: nam tales vel aliter punire, vel etiam excommunicare poterit, arg. d. c. *Cum ex officii*, 16. *de Præscript.*, ac notat Abbas ibid. nu. 41. Pirhing. h. t. n. 25, et alii.

47. *Quando archiepiscopus possit visitare provinciam?* — Ubi tamen breviter notandum quod olim archiepiscopus, visitata propria Ecclesia, diocesi, clero et populo, illico potuerit procedere ad visitandam provinciam, vel in toto, vel in parte; prout amplius habetur in cap. i. *de Censib.* in 6. Verum spectato jure novo et decreto concilii Trident., sess. 24. cap. III. *de Reform.* Metropolitanus etiam post plene visitatam propriam diocesim, non potest visitare « ecclesias cathedrales, neque dioceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita, et probata in concilio provinciali. » (ADNOTATIO IV.)

48. III. *Ad supplendam negligentiam suffraganei.* — Tertius, atque in præmissis versiculis per ly « Deses præsul » significatus, casus est quando suffraganeus episcopus est negligens in eo, quod ipse facere debet; quia tunc archiepiscopus supplere potest negligentiam ejus, sicque in ipsius subditos jurisdictionem exercere; prout uberius dictum est supra, tit. X. *De supplenda negligentia prælatorum*, a n. 9 usque ad n. 32. Et hi tres sunt cæteris principaliores casus, in quibus jure sic disponente, archiepiscopus exercet jurisdictionem in subditos suffraganei, nunc cæteros per ordinem, prout in præalleatis versiculis continentur, proseguendo,

49. IV. *Propter officium varium, seu discrepantiam in divinis officiis; et quomodo?* — Quartus importatur per ly « Officium varium. » Idque accidit, quando subditi provinciæ deviant a consuetudine Ecclesiæ metropolitanæ in divinis officiis; quia tunc auctoritate metropolitanæ sedis possunt cogi ad

observandum in ipsis unum eundemque modum, can. *De iis*. dist. 12. Intellige, quando inferiores Ecclesiæ nondum habent certam in istis consuetudinem Ecclesiæ metropolitanæ, c. *Tuas dudum*. 5. *de Sponsa duor.* Secus, quando inferiores Ecclesiæ illius provinciæ per rationabilem, ac legitime præscriptam consuetudinem, observant alium modum in psallendo, ac peragendis divinis officiis, arg. can. *Illud breviter*, dist. 12. et notat Hostiensis in *Summa*. n. 7, h. t. ac Glossa marginalis, et Abbas in d. c. *Pastoralis*, n. 9 eod. (ADNOTATIO V.)

50. V. *Ratione fori; et in quo sensu?* — Quintus casus importatur per ly « forus, » et tunc accidit, quando clericus, vel laicus, conqueritur de injusta excommunicatione; nam tunc archiepiscopus per querelam aditum, primo remittit excommunicatum ad episcopum pro absolutione eidem impertienda; et si episcopus noluerit ipsum absolvere, tunc archiepiscopus (recepta prius cautione juratoria, quod velit suo episcopo competenter satisfacere), poterit illum absolvere, prout habetur in c. *Ad reprimendam*. 8, h. t. Huc accedit casus ille, si clericus conveniat episcopum suffraganeum civiliter; quia tunc debet sequi forum episcopi, sicque potest ipsum convenire coram archiepiscopo, ut jam dictum supra, n. 38.

51. VI. *In causa criminali, ubi episcopus crimen ecclesiasticum imposuit clerico, vel laico subdito.* — Sextus casus significatur per ly « crimen; » et fit, quando criminalis causa agitur inter episcopum et clericum, vel laicum subditum, cui episcopus crimen ecclesiasticum imposuit: tunc enim causa illa debet deduci ad synodum, in qua præest archiepiscopus; ut can. *Episcopus*. 6. q. 2, juncta Glossa, et Archidiacono, ibid.

52. VII. *Quando subditus suffraganei peccat in diocesi archiepiscopi.* — Septimus denotatur per ly « peccans; » hoc est, quando subditus suffraganei peccat, seu delinquit in propria diocesi archiepiscopi; nam generale est, quod ratione delicti efficiatur quis de jurisdictione illius, in cujus territorio delinquit, cap. ult. *de Foro compet.*

53. VIII. *Si subditus suffraganei non vult ejus mandatis parere, postquam ab archiepiscopo fuit absolutus ab excommunicatione.* — Octavus indicatur per ly « non parens: » et accidit, quando subditus suffraganei conqueritur de injusta ejus excommunicatione coram archiepiscopo, sed per hunc absolutus

(servatis tamen servandis, ac num. 50. jam expressis) postea non vult parere mandatis suffraganei, neque ipsi, ut debet, satisfacere. Tunc enim per archiepiscopum reducitur in eandem excommunicationis sententiam, sicque hic in ipsum exercet jurisdictionem. Patet hoc ex cit. c. *Ad reprimendam*, § fin. h. t.

54. IX. *Ratione rei sitæ in diocesi archiepiscopi.* — Nonus casus datur per ly « res. » Nam generale est, quod ratione rei, de qua litigatur, quis sortiatur forum, cap. ult. *de Foro compet.* ac proinde, quando subditus suffraganei habet v. g. prædium in diocesi, seu territorio archiepiscopi, ratione ipsius, potest coram archiepiscopo conveniri, atque hic in illum exercere jurisdictionem.

55. X. *Quando suffraganeus remittit causam ad metropolitanum per relationem, seu consultationem.* — Decimus casus est « consultatio, » seu quando suffraganeus causam inter subditos suos exortam et magis controversam remittit archiepiscopum per relationem seu consultationem; quia tunc archiepiscopus se impedit tali causæ inter subditos suffraganei sui, can. *Multis*, dist. 17, et tradit Abbas in cit. c. *Pastoralis*, num. 11, h. t. post Hostiensem.

56. XI. *Si canonici tumidi cessant a divinis in Ecclesia cathedrali.* — Undecimus casus est, quando « Canonici tumidi, » absque manifesta et rationabili causa, maxime in contemptum episcopi, cessant a divinis in Ecclesia cathedrali, vel hanc (ubi id possunt de consuetudine) supponunt interdicto; quia tunc metropolitanus ad querelam episcopi super hoc cognoscit, tanquam delegatus a Papa, c. *Irrefragabili*, 13, § *Cæterum*. Et Glossa ibid. §. *Super hoc delegatus*, h. t.

57. XII. *Quando notorium est sententiam episcopi esse injustam, et metropolitanus aditur pro ejus emendatione.* — Duodecimus casus est, « sententia nequam: » quando videlicet notorium est sententiam episcopi, ut puta quempiam excommunicantis post appellationem ab eo ad Sedem Apostolicam interpositam, esse injustam; quia tunc archiepiscopus, si ipsum subditus suffraganei taliter gravatus, super emendatione ejusmodi actus manifeste injusti adierit, potest auctoritate metropolitana declarare, subditum illum tali sententia non ligari, c. *Sollicitudinem*, 54. § *Si vero notorium de appellationib.*

58. XIII. *Archiepiscopus concedit indulgentias per totam provinciam.* — Decimus tertius

casus insinuat per ly « indulget : » quia videlicet archiepiscopus, licet non sit iudex ordinarius omnium de provincia, nihilominus per totam provinciam potest libere dare remissionis litteras generales; hoc est, potest indulgentias concedere secundum formam concilii generalis, prout habetur in c. *Nostro* 15, juncta Glossa  $\gamma$ . *Per tuam provinciam de Pœnit. et remiss.*

59. XIV. *Ecclesia suffraganei vacante custodit archiepiscopus bona ejus defectu canonicorum.* — Decimus quartus casus importatur per ly « custos : » et consistit in hoc, quod Ecclesia suffraganei vacante, si non supersint canonici qui custodiant bona mensæ episcopalis, vel adsint dumtaxat minus idonei, aut suspecti, tunc metropolitanus bona ejusmodi custodire possit; ita tamen, ut de istis nihil auferat, sed illibata omnia episcopo, qui ibi ordinabitur, reddat. Patet hoc ex can. *Non liceat alicui*, 12, q. 2.

60. XV. *Si habet speciale privilegium Papæ.* — Decimus quintus casus denotatur per ly « quia Papa dat : » quando videlicet archiepiscopus per speciale privilegium Papæ ampliore habet jurisdictionem in subditos suffraganeorum, c. *Duo simul*, 9, in fin. h. t.

61. XVI. *Aut per legitimam consuetudinem obtinuit ampliore jurisdictionem in subditos suffraganei.* — Decimus sextus casus insinuat per ly « usus : » et fit, quando per longævum usum, sive consuetudinem legitime præscriptam, obtinuit archiepiscopus ampliore jurisdictionem in subditos suffraganei, arg. can. *Conquestus*, 9, q. 3. et c. *Duo simul*, h. t. ibi : « Vel illi prisca consuetudo contulit ab antiquo : » siquidem consuetudo dat jurisdictionem, prout, præter jura hic allegata, desumitur ex c. *Romana*, § *Neque de Foro compet.* in 6 et notat ibi Glossa,  $\gamma$ . *De Consuetudine*.

62. XVII. *Quando episcopus facit permutationem cum capitulo suo.* — Decimus septimus casus significatur per ly « permutat sociis : » hoc est, quando episcopus permutationem facit cum capitulo suo; quia talis permutatio non debet fieri sine consensu superioris, arg. c. *Apostolica*, de *His quæ fiunt a prelat.* Hostiensis cit. n. 7.  $\gamma$ . *Permutat.*

63. XVIII. *Et quando suffraganeus, qui recusatur ut suspectus, remittit causam ad metropolitanum.* — Decimus octavus tandem casus exprimitur illis verbis, « suspectus cumque remittit : » hoc est, quando episcopus suffraganeus, qui recusatur ex justa causa veluti

suspectus, remittit causam ad superiorem metropolitanum : tunc enim archiepiscopus in causa illa procedere debet, c. *Cum speciali*, 6f, § I. in fin. de *Appellat.* Abbas ubi supra, n. 11. Hostiensis et alii.

## § III.

## DE POTESTATE EPISCOPI GENERATIM.

64. *Episcopi nomen est antiquissimum, et idem significat, ac Superintendens.* — Quæritur I. Quotuplex, et qualis sit potestas episcopi? Ubi prænotandum, quod *Episcopi* nomen sit antiquissimum, simulque græcum, compositum ex ly  $\epsilon\pi\iota$ , quod *super*, et  $\sigma\upsilon\pi\epsilon\rho\sigma$ , quod latine, *intentio*, significat : quasi episcopus sit *superintendens*, seu curam gerens eorum quibus præficitur; prout notatur in can. *Qui episcopatum*, 8, q. 1, et can. *Cleros*, dist. 21. Et licet vocabulum istud etiam apud ethnicos fuerit usitatum, de facto tamen apud christianos significare solet eum, qui et clero et populo præst in spiritualibus. Huc adde dicta paulo superius n. 16, et seqq. Quibus prænotatis,

65. *Potestas episcopi generatim est duplex, nempe ordinis, et jurisdictionis.* — Resp. I. Potestas episcopi generatim est duplex, ordinis videlicet, et jurisdictionis. Ita communis. Et quidem « potestas ordinis » dicitur illa, quæ dependet ab ordine, seu characterè episcopali : et hæc potissimum consistit in tribus, nempe in confirmando, ordinando, et consecrando. Unde episcopus nondum consecratus ea quæ sunt ordinis episcopalis, per semetipsum exercere non potest, quamvis possit alteri episcopo delegare, seu licentiam facultatemque committere ut suo locò sacras ordinationes, consecrationes, aliaque quæ sunt ordinis episcopalis peragat, c. *Suffraganeis*, 11, de *Elect.*

66. *Potestas jurisdictionis; et in quo consistat.* — « Potestas jurisdictionis est, » per quam episcopus constituitur iudex et pastor Ecclesiæ suæ, ut possit causas decidere, beneficia conferre, visitare, corrigere, et delinquentes punire juxta statuta sacrorum canonum, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, prout habetur cap. 1, h. t. juncta Glossa, et doctores ibidem. Et quidem hujusmodi jurisdictio jure ordinario competit episcopis, text. clar. c. *Cum episcopus*, h. t. in 6; ibi : « Cum episcopus in tota sua diocesi jurisdictionem ordinariam noscatur ha-

bere. » Idque intellige non solum de episcopo consecrato, sed etiam de electo et confirmato tantum; uti liquet ex c. *Transmissam*, 15, de *Elect.*

67. *Episcopi non solum habent jurisdictionem ordinariam, sed etiam imperium mixtum, et merum.* — Resp. II. Episcopi in suis diocesisibus non solum habent jurisdictionem ordinariam, ut num. præc. dictum est; sed etiam imperium mixtum, et merum. Ita Fagnanus, in c. *Perniciosam*, n. 25, h. t. citans alios. Ratio est, quia episcopi possunt in suis diocesisibus inquirere, ac punire crimina, cit. cap. 1, h. t. Item possunt excommunicare, c. *Per tuas*, 40, et c. *Ut animarum de Constitut.* in 6 et alia hujusmodi in criminosos exercere. Atqui talia spectant ad mixtum et merum imperium, ut patet ex dictis supra, tit. de *Officio et potestate judicis delegati*, § 1. n. 26.

68. *Potestas ordinis confertur episcopis immediate a Deo.* — Quæritur II. An potestas jurisdictionis competat episcopis immediate a Deo, vel potius mediante Papa? Et notanter dicitur « potestas jurisdictionis; » de hac quippe solummodo est quæstio et controversia aliqua inter doctores, quam fusissime examinat Fagnanus in c. *Perniciosam*, n. 28, et seqq. h. t. Nam potestatem ordinis conferri episcopis vi suæ consecrationis, adeoque immediate a Deo, certum est; unde et hæc ab Ecclesia amplius auferri, vel impediri non potest, sicut nec character episcopalis, utpote indelebilis. Verum loquendo de potestate jurisdictionis non parum variant doctores, uti videre est apud Bellarminum, lib. IV de *Romano Pontifice*, cap. xxii et seqq.; Azorium, tom. II, lib. III, disp. 30, quæst. 13; Fagnanum, loc. cit.; Pirhing, h. t. 39, et seqq. ac alios : Unde,

69. *An idem dicendum de potestate jurisdictionis?* — Resp. I. Quamvis jurisdictio ordinaria episcoporum secundum se, ac in generali considerata, a Christo fuerit instituta, adeoque ea non sit potestas gubernandi pure temporalis et civilis, sed spiritualis, atque divina; nihilominus si ipsa consideretur quoad has vel illas personas, quibus confertur, et in ordine ad certas dioceses, loca, seu populos, respectu quorum ea confertur, sic ipsa descendit immediate a Romano Pontifice, tanquam vicario Christi, et supremo Ecclesiæ universalis pastore. Ita Pirhing, loc. cit. appellans hanc sententiam verissimam, et hodie communem theologorum et canonistarum. Id ipsum in re, sub aliis tamen terminis, tra-

dit Fagnanus, ubi supra, n. 30, dicens, quod quantum ad immediationem virtutis, potestas episcopi sit immediate a Christo; non vero, quantum ad immediationem suppositorum agentium; sic enim (ut idem in progressu explicat) mediat summus Pontifex, vocans alios episcopos in partem sollicitudinis, eisque dividens certas dioceses, harumque populos gubernandos; quamvis virtus potestatis episcopalis ut sic descendat immediate ex Christi institutione. Idem tradit Sannig, h. t. cap. vi. num. 3, et Engel, tit. de *Majorit. et obed.*, n. 34, ubi ait potestatem jurisdictionis episcopi sub diverso respectu (videlicet modo explicato) dari a Christo, et a Papa.

70. *Jurisdictio episcopalis secundum se, ac in generali, est instituta a Christo.* — Prima pars, nempe jurisdictionem episcopalem secundum se, ac in generali spectatam, sive (ut loquitur Fagnanus) quantum ad immediationem virtutis, fuisse institutam a Christo Domino patet ex S. Scriptura. Nam, ubi Christus Joan. xxi, 17 dixit beato Petro : *Pasce oves meas*; et rursus dum *Matth.* xxviii, 19; *Marc.* xvi, 15, generatim præcepit Apostolis : *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes*, etc. præbuit simul ipsis potestatem, non solum ubique prædicandi Evangelium Dei, sed etiam fundandi Ecclesias, et creandi episcopos in universo mundo : quod et Apostoli rite postmodum observarunt, ut patet ex eorum *Actib.*

71. *Et ab eodem immediate collata sancto Petro cæterisque Apostolis.* — Ubi tamen notandum cum Bellarmino, loc. cit. cap. xxii. et seqq., Barbosa, part. I, de *Offic. et potest. episc.* tit. I, cap. 1, n. 31; Pirhing, h. t. n. 40, et aliis, quod non solum beatus Petrus, sed etiam cæteri Apostoli immediate a Christo acceperint munus apostolatus, sicque jurisdictionem, atque auctoritatem ubique terrarum prædicandi verbum Dei, fundandi Ecclesias, et creandi episcopos, juxta illud Lucae vi, 13 : *Vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis quos et Apostolos nominavit*, cum similibus. Quod etiam divus Paulus de semelipso testatur *Galat.*, cap. 1, 1. illis verbis : *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem : et amplius probat Bellarminus, cit. cap. xxii. Ac proinde quoad hujusmodi auctoritatem apostolatus, et jurisdictionem administrandi pro toto orbe terrarum absque ulla limitatione, par fuerit potestas omnium*